



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sol Triplex In Eodem Universo

Hermann, Amand

Sultzbaci, 1676

Septima. De primis, & secundis intentionibus, & an sint Ens Rationis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)

ant. cuius probationem distinguo, sed quod est tale est quid fictum, si asseratur & concipiatur tale per asseritionem concedo mi. per negationem nego mi. & consequentiam.

VIII.

Solet hic A nonnullis fuisse examinari multiplicitas entis rationis & divisio, nam aliqui dividunt in negationem & privationem, alii in relationem, alii fundatum in re, & aliud non fundatum in re, quod idem est dicere ac esse ens rationis materialiter, vel formaliter; attamen cum non tantum imò nullam quodammodo reperto in hac re utilitatem, & cum rationis sit ad placitum rationis videtur certe posse multiplicari divisio, ideo puto congruè dividi in tot classes, quot dividitur ens reale, nam cum analogicè participet rationem entis, eadem ratione poterit participare prädicamenta entis realis, cum intellectus prohiberi non possit, cur non ad similitudinem realium prädicamentorum, prädicamenta, rationis constringat.

QUAESTIO VII.

De Primis & Secundis Intentionibus, & an sint ens Rationis?

I. Theologus sumitur juxta vulgatum scilicet, Quidquid agunt homines intentio iudicat omnes, sed sumo protendentia potentiae in objectum, unde species intelligibiles quibus intellectus, & sensibiles quibus sensus excitantur & adjuvantur ad percipiendum objectum vocantur species intentionales, & productio talium specierum vocatur actio intentionalis, attamen magis specialiter adhuc hic ago de tendentia intellectus, Circa quam materiam multae, diversaeque sunt & fuere sententiae nonnulli etiam copiosissime eam pertractant, & alii vix obiter perstringunt, quare medio tutissimus ibo, aliquid dicendo de iis quod utile necessariumque videri poterit, & superfluum tractationem omitto, Itaque;

II.

Intentio duplex est: alia formalis, alia objectiva; formalis est ipse actus intellectus quo tendit in suum objectum; objectiva vero est ipsum objectum in quod tenditur. Utraque subdividitur in primam & secundam; Intentio prima formalis est actus intellectus cognoscens aliqua prädicata convenire rei independentè ab intellectu: secunda vero formalis dicitur actus quo cognoscuntur aliqua prädicata rei convenire dependentè ab intellectu. Intentio objectiva prima, sunt illa prädicata rei inde-

pendentè ab intellectu convenientia; objectiva vero secunda sunt prädicata rei ipsi dependentè ab intellectu convenientia, Primi generis sunt homo verbi gratia lapis &c. actus vero in illa objecta tendentes dicuntur intentiones primae formales; secundi generis vero sunt esse genus, esse speciem, &c. & actus illa prädicata cognoscentes dicuntur intentiones formales secundae. Hinc collige rem primò intentionalitèr sumptam esse illam prout dicit prädicata intrinseca independentè ab intellectu: secundo vero intentionalitèr sumptam esse prout dicit prädicata dependentè ab operatione intellectus. Hoc soluto ad secundam partem quaestionis.

DICO Nec prima, nec secunda intentio formalis aut objectiva dicit ens rationis formalitèr.

III.

Nulla intentio est ens rationis.

Ita Pontius & sat frequens in Scholis contra communioem, quam Baro melius oppugnare non potest, quam si non essent entia rationis, deberent esse denominationes extrinsecae, sed tales nullae dantur, ergò sunt entia rationis: verum hæc ratio in sententia mea nihil negat, quia contra eum denominationes extrinsecae propugno: De primis difficultas non est, unde Probatur conclusio de secundis; Quia si ulla intentio secunda esset ens rationis formalitèr maxime genus, species, prädicatum, subjectum &c. sed hæc non sunt, ergò nulla; probatur mi. quia esse prädicatum nihil aliud formalitèr dicit, nisi actum intellectus enuntiantem rem illam, quæ dicitur prädicatum; similiter genus nihil aliud dicit formalitèr, nisi aliquem actum intellectus extrinsece denominantem rem illam quæ genus dicitur, & universalitèr secunda intentio non est aliud formalitèr, quam actus intellectus peculiari aliquâ respicientiâ rem denominans, sed hæc omnia habentur à parte rei, sicut & aliae denominationes, ergò

IV.

DICES Non potest intelligi aliquid esse comparatum alteri nisi intelligatur aliquis ordo inter comparata, sed talis ordo est ens rationis, ergò in rebus sic comparatis per actum intellectus sequitur ens rationis, & consequentèr secundae intentiones sunt ens rationis. R. aut nullum ordinem sequi, aut si sequitur esse relationem realem actnalem, vel aptitudinalem, quod hoc argumento probari potest; Actus simplex potest dare denominationem apprehensi absq; ullo respectu rationis, ergò etiam comparativus denominationem comparati absq; ullo tali respectu.

Hæc de Ente Rationis ad Entium Entis DEI gloriam.



PARS